



Dissertatio juridica inauguralis de compensationibus

<https://hdl.handle.net/1874/345158>

29.

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
COMPENSATIONIBUS.

QUAM
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JACOBI VALLAN,

M.D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimaque

Facultatis JURIDICÆ Decretō,

PRO GRADU DOCTORATUS.

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

ADRIAAN VERBOOM, ROTEROD. BAT.

Ad diem 12. Septembri, horâ locoq[ue] solitis.



MOO TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc lcc xci.

*Nobilissimis, Doctissimis,
atque Consultissimis,*

D. D. Consiliariis & Ad-
fessoribus Cameræ Ra-
tionum Hollandiæ , at-
que West-Frixiæ , Pa-
tronis meis summopere
colendis.

Hanc Dissertationem Juridicam

D. D. D.

ADRIAAN VERBOOM,

AUCT. & RESP.



DISSERTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

D E

COMPENSATIONIBUS.

THEISIS I.



gressuri materiam de compensationibus, præambuli loco videbimus, cur introducta sit, & quâ ratione nitatur: Est autem materia compensationis potissimum inventa, ac admissa ad sopiaendos litium circuitus, ne fiat per plura, quod potest fieri per pauciora.

Et quoniam æquissimum est, ut quis eo jure adversus alium utatur, quo alium erga se uti desiderat: Utque is, qui alium sibi solvere desiderat, eidem quo-

A 2

que

4 DISSERTATIO JURIDICA

que satisfaciat : Idque si recuset facere , non videtur dolo carere . Nam dolo facit , qui id petit , quod postea redditurus est . *l. 173. §. ult. de R. f.* Huc pertinet compensationis æquitas , cuius meminit Alex. Imp. in *l. 5. & 6. C. b. r.* & Pomponius in *l. 3. ff. eod.* quia interest potius non solvere , quam solutum repetere , cum fieri posset , ut per inopiam debitoris vel alia de causâ inanis fiat actio , atque ideo compensationem necessariò introductam dicit .

I I.

Quamvis autem compensatio in jure nostro aliquando latissimè accipiatur pro adæquatione cuiusque rei : *§. 2. Inst. de societ.* ubi damnum & lucrum in societate compensari dicitur . Interdum latè pro adæquatione debiti cum alio ; si creditor pro debito suo qualemque rem accipiat . *l. 6. C. de Rei Vind.* in hoc tamen titulo pro perpetuâ retentione , quæ vim solutionis habet , accipitur , definiturque à Modestino in *l. 1. ff. de comp. Compensatio est debiti , & crediti inter se contributio.* Ita dicta , quod æs alienum cum eo quod utrimque debetur per imaginariam quasi solutionem pensitetur , & quo ad concurrentem quantitatatem minuatur , *l. 4. C. de compens.* *l. 58. §. 3. in fin. ff. ad SC. Trebell.* eamque , ut ordine excutiamus , hæc sequentia notabimus . 1. quibus detur , 2. in quibus causis , 3. quis sit effectus compensationis .

III. Da-

III.

Datur itaque jus compensandi quibuscumque debitoribus, adversus quoscumque creditores à quibus debetur sibi, cujuscumque ætatis, aut conditionis sint, unde etiam pupillis objicitur *l. 11. C. b. t.* nec solùm ex proprio, sed & ex alieno nomine compensatio fieri potest; Quomodo fidejussor, cùm pro debitore principali solvit, compensare eam quantitatem potest, quæ vicissim à creditore debitori debetur, *l. 4. ff. h. t.* omnes enim exceptiones & defensiones, quæ reo competunt, siquidem in rem scriptæ nec mèrè personales sint, etiam fidejussori profunt, & objici possunt, *l. 7. l. 19. ff. de except.* qualis etiam est compensatio arg. *l. 1 ff. h. t.* quæ simulatque jam opposita est, ipso jure obligationem minuit, acsi ipse reus debiti partem intulisset. Procurator etiam in rem suam, verbi gratiâ, cui vendita, vel donata est actio, compensare potest, *l. 18. pr. ff. h. t.* etiam ante litem contestatam: quia & ante hanc debitum ipsius est, & utili id actione exigere potest *l. 55. ff. de proc. l. 6. & 7. C. de obl. & act.*

IV.

Objicitur autem non tantum privatis, sed etiam civitati, reipublicæ, aut fisco *l. ult. ff. de compens.* *l. 3. C. eod.* dummodo non compenget in causis exceptis, de quibus in *l. 1. & 3. C. b. t.* ubi enumerantur

A 3

causæ

6 DISSERTATIO JURIDICA

causæ septem , quibus adversus rempublicam compensatio cessat : (1) si quis sit debitor civitatis ex Calendario , id est , si mutuam pecuniam fœnori à civitate accepit (2) si ex vestigalibus (3) si ex pecunia frumenti , vel olei publicè empti l. 46. §. 5. ff. de jure fisci . (4) si debitor sit tributorum (5) ad alimenta publicè præstanda in Xenodochiis , aliisque locis , quibus infirmi , senes , pueri , puellæ , aliæque personæ miserabiles aluntur . (6) si debitor ejus pecuniæ , quæ certis sumptibus publicè faciendls deferit (7) si debitor fideicommissi civitati relieti.

V.

Sequitur , ut dispiciamus , in quibus obtineat compensatio : & notandum , quod locum habeat in debitis , sive ex contractu oriantur , sive ex delicto l. 39. ff. solut. matrim. & l. 36. ff. de dolo malo , ubi unus quid dolo malo fecit , itemque alter , & dicitur dolum cum dolo compensari . Quod tamen ita limitandum , si agatur pecuniariè ob dolum , aut culpam ad civile partium interesse , aut damni dati restitutionem l. 10. § 2. ff. b. t. Secùs , si debitorum poena sit corporalis , aut capitalis , tunc enim compensatio non potest locum habere l. 13. §. 5. ff. ad l. Juli. de adult. neque interest , an contractus sit bonæ fidei , an stricti juris , quod effectum est Divi Marci Cæsar's rescripto §. 30. Inst. de act. cùm antea in strictis juris judiciis non admittebatur compensatio , quod in illis stricta juris constituti ratio haberetur.

Id

Id quod postea confirmavit Imperator Alexander Severus in *I. 4. & 5. C. b. t.* & à Justiniano in *d. §. 30.*
& I. ult. C. b. t. ampliatum. Porrò compensatio quoque obtinet in omnibus actionibus tām personalibus, quām realibus *d. I. nlt.* quia vocabulum debendi in materiā compensationis non tantū pro eo, quod jure obligationis, sed etiam quod jure in re debetur, accipitur. Exceptā tamen solā actione depositi *§. 30.*
Inst. de act. & I. fin. C. b. t. ne scilicet sub prætextu compensationis depositarum rerum quis exactione defraudetur, & ne contractus, qui ex bonā fide oriatur, ad perfidiam retrahatur *I. pen. C. depos.* præter hanc autem actionem depositi, & aliam excipit Imperator in *d. I. ult. C. b. t.* eam videlicet, quā possesso rei alienæ vi occupata repetitur: quæ sanè species nullam aut retinendi, aut compensandi probabilem causam habet.

V I.

Cæterū, ut debitum possit compensari, requiritur (i.) ut sit verē debitum; Undē quæritur an debitum naturale tantū compensari possit? Quod affirmat Ulpianus in *I. 6. ff. b. t.* ubi inquit; *quod naturā debetur, venit in compensationem.* Ut puta, debo tibi centum ex mutuo, tu vel anteā, vel postea nudo paēto ex aliā causā centum pollicitus es te daturum: quæ centum ita nudo paēto promissa civiliter sunt indebita, sed debita naturaliter, jure tecum pensabo, ut quod actione à te consequi non potui, id te agente per compensationem

8 DISSERTATIO JURIDICA

nem teneam ab invito. Debitum autem merè civile compensari nequit , quia per exceptionem perimit potest *l. 14. ff. b. t.* unde si quis spe futuræ numerationis chirographo fateatur , se certam pecuniae sumam accepisse , hoc intra biennium compensari non potest: Eodem modo excluditur debitum vi , metu , aut errore promissum *§. 1. & seqq. Inst. de except.* quoniam & illud exceptione perimitur.

V I I.

Secundò ita demùm debitum compensatur , si sit liquidum *l. ult. C. b. t.* nam liquidi cum illiquido nulla compensatio est. Liquidum autem hoc casu dicitur , quod pro certo & indubitate ejusdem utrimque qualitatis , atque aestimationis appetet , nec multis ambagibus innodatum , sed quod judici facilem praestat exitum *d. l. ult. §. 1.* veluti ex confessione adversarii , qua fatetur se tantundem debitori suo , eidemque creditori ex hac vel illâ causâ debere , aut cùm non de facto , sed de jure inter debitorem , & creditorum disputatur , quod semper certum ac judici aperatum esse intelligitur *tot. tit. Cod. ut, quæ defunt advocates partium, judex suppleat.* Vel siquidem in facto versetur quod debitor compensandum opponit , sed tale sit , quod in continenti probari potest: Ut si jam statim ab initio litis , & in ipsâ quasi contestatione debitor paratam probationem offerat , quod etiam sibi ab auctore vicissim aliquid debeatur *d. l. ult. §. 1. vers. hoc itaque judices C. b. t.* quænam autem sit celeris , & parata probatio , & intra quod tempus fieri de-

debeat, quoniam in jure expressum non est, ideo arbitrio judicis relinquendum est.

VIII.

Cum itaque leges debitum liquidum exigant, hinc manifestum est, debitum purum non compensari cum eo quod debetur in diem, vel sub conditione *l. 7. ff. b. tit.* certi autem loci adjectio non impedit compensationem, habitâ tamen ratione ejus, quod intereat destinato loco dari *l. 15. ff. eod.* non etiam debitum debet esse alternativum: ut si quis decem aut hominem debeat, non aliter compensatio hujus debiti admittitur, quam si adversarius palam dixerit, utrum voluerit: nam cum electio sit ejus, petere rem certam debet *l. 22. ff. eod.*

IX.

Tertio requiritur, ut sit debitum earum rerum, quæ compensationem recipiunt, quales sunt res quæ in quantitate consistunt, id est, res quæ pondere, numero, vel mensurâ constant, quia hæ res mutuam functionem & permutationem recipiunt; speciei autem ad speciem, aut quantitatis ad speciem, vel speciei ad quantitatem nulla est compensatio, quia nulla utrimque adest paritas, quam compensatio, sicut & solutio, in rebus compensandis & solvendis requirit *l. 2. §. 1. ff. de reb. cred.* & quemadmodum aliud pro alio invito creditori solvi nequit *d. l. 2. §. 1.* ita quoque nec compensari; compensatio enim est ima-

B gina-

10 DISSERTATIO JURIDICA

ginaria solutio ; cùm ergò vicem solutionis obtineat & in speciebus seu corporibus variet æstimatio , cadiatque in ea affectio , non potest creditori objici compensatio.

X.

Initium autem capit compensatio ex eo tempore , ex quo ab utrâque parte quid debetur *I. 4. C. b. tit.* eaque opponitur quâcunque litis parte , etiam post conclusionem in causâ , imò usque ad executionem sententiae , contra debitorem latæ , ita ut non modò in ipso judicio contra debitorem accepto , sed in ipso momento quo petitur executio rei judicatae , objici & implorari possit *I. 2. C. b. tit.* ex quo tamen non sequitur , quod compensatio impugnet sententiam , quia ille qui compensat , videtur satisfacere sententiae , cùm compensare , uti jam ante dictum , fitsolvere.

X I.

Effectus compensationis est , quod obligationem ipso jure extinguit , & alter ab altero liberetur , perinde atque si alter alteri solvisset *I. 4. § I. 21. ff. b. t.* quod tamen intelligendum est usque ad concurrentem quantitatatem , *I. 4. C. b. t.* Verb. Grat. Titius mihi centum debet ex causâ mutui : ego ex aliâ causâ debo quinquaginta : compensatio fit ipso jure , & ego à Titio liberor , non à totâ summâ , quæ debetur , sed pro quantitate concurrenti . Dicitur autem ipso jure fieri compensatio , non , quasi non alleganda sit in judi-

INAUGURALIS.

TE

judicio, cùm aliás de eā admittendā pronuntiare nequeat judex *l. ult. §. 1. C. b. t.* Sed quod opposita retrò vires suas exserat, à die scilicet quā utrinque debitum cœpit, id est, sistat cursum usurarum, libaret fidejussores *l. 43. ff. de solut.* & pignora solvantur *l. 12. C. b. t.* & si ille, qui poterat compensare, per errorem quid solverit, condicere poterit, quasi indebito soluto *l. 10. §. 1. ff. b. t.*

XII.

Maximè autem controvertitur an, si quis juraverit, se debitum soluturum, salvâ jurisjurandi religione compensare valeat? Et verior est affirmantium sententia (1.) quia nihil interest, solverit aliquis, an compensaverit, & quia compensatio facit, ut debitum pro soluto habeatur *l. 4. C. b. t. junct. l. 4. ff. qui pot. in pign.* (2.) Quia solvisse non solum is dicitur qui revera solvit, sed omnis ille qui eā obligatione liberatus est *l. 4. §. 7 ff. dere jud.* jam verò qui compensat, liberatur obligatione, per consequens qui juratū debitum compensat, illud solvisse censetur. (3.) Huc facit, quod dedisse intelligatur qui compensat, *l. 76. de V. S.* quodque judicati conventus compensare possit *l. 2. C. b. t.* res autem judicata & jusjurandum comparantur *l. 2. ff. de jurejur.* Sed his ita breviter libatis strictimque expositis, naviculā importum subductā.

Anchora de prora jacitur, stat littore puppis.

A. N.

A N N E X A.

I.

Aliud pro alio invito creditor i solvi nequit.

II.

Transactio super re certâ & judicatâ facta, nullius est momenti.

III.

Fidejussor in majorem summam acceptus quam reus principalis debet, omnino non obligatur.

IV.

Jurandum judiciale potest retractari ob instrumenta noviter reperta.

F I N I S.